

Idem a S. Auberti Archidiac. Abbari de Annona,  
& Preposito Cameracen. (an. 1226.)

**G**ravem & dolore non vacuam: [ & inf. 1 ] Distr. v.  
mandamus, quatenus si vobis constiterit Archidiaco-  
num semel & secundo, contra fidem homagii praestiti, ac  
debitam reverentiam, Episcopum suum esse dominum ne-  
gasse b, vel in foro seculari depositisse contra eum super  
rebus spiritualibus questionem, aut tam invasor Episco-  
pi, & sociorum ejus, quam fratri ejus, vel c complicibus  
suis causam, vel consilium praeuisse: ipsum tanquam  
membrum putridum ab Ambianen. Ecclesia perpetuo ab-  
scindatis, beneficia sua facientes personis idoneis per il-  
los, ad quos donatio pertinet, assignati.

[ 1 Ac toci Clero contumeliarum aculeis circumsertam rece-  
pimus questionem: quod cum ven. f. n. Ambianen. Episcopus  
quoddam beneficium vacans, quod altare dicitur, cuius ido-  
neum, prout ad se spectare credebat, absente Archidiaco Am-  
bian. contulisset, idem Archidiacoconus stipatus ceterus fratris  
sui, & quorundam aliorum, accedens ad Episcopum memora-  
rum, & proponens, quod ei injuriatus fuerat super hoc, insi-  
stis apud eum, ut sine causa cognitione a beneficio ipso prorsus  
smoveretur ab eo institutus. ]

C A P. XVI.

Ponit XV. gravamina illata Religiosis, a quibus precipit  
Prelatos abstinere.

Gregorius IX. universis Ecclesiarum Prelatis. (an. 1235.)

**I**n mis iniqua: [ & inf. 1 ] Cum religiosi viri abnegan-  
tes salubriter semetipos, elegerint in paupertate  
Christo pauperi ad placitum famulari, tanquam nihil ha-  
bentes, & omnia possidentes: non defunt plerique tam  
Ecclesiarum Prelati, quam alii, qui ea cupide seducti,  
propria aviditate subtrahi reputantur, quicquid praeditis  
fidelium pietas elargitur, quietem ipsorum multipliciter  
inquietant d. Volunt namque contra regulam a sede Apo-  
stolica approbatam, & sui ordinis instituta, ipsis invitatis  
eorum confessiones audire, ac eis injungere pœnitentias,  
& Eucharistiam exhibere: nec volunt, ut corpus Christi  
in eorum Oratoriis reservetur: & fratres ipsorum defun-  
ctos apud Ecclesias suas compellunt sepeliri, & eorum ex-  
equias celebrari: & si quis decedentium fratrum alibi, quam  
in suis Ecclesias eligat e sepulturam, funus primo ad Ec-  
clesias suas deferri cogunt, ut oblatio suis usibus cedat.  
Nec sustinent eos habere campanam, vel cœmeterium  
benedictum, certis tantum temporibus permittunt ipsis  
celebrare divina. Volunt quoque in dominis eorum f certi-  
tum numerum fratrum, Sacerdotum, Clericorum, & Lai-  
corum, necnon cereorum, lampadum, & ornamentorum,  
pro voluntate sua taxare, ac residuum cereorum, quando  
noviter apponuntur, exigunt ab eisdem. Nec permittunt,  
quod g novi Sacerdotes eorum alibi, quam in Ecclesiis  
suis celebrant primas Missas, eos nihilominus compelli-  
tes, ut in quotidianis Missis, quas in suis locis, & alta-  
ribus celebrant, oblationes ad opus eorum recipiant, & re-  
servent: quicquid etiam eis, dum celebrant Missarum so-  
lennia, intra domorum suarum ambitum pia fidelium de-  
votione donatur, ab ipsis extorquere oblationis nomine  
contendentes, quod eisdem tam in ornamenti altaris,  
quam in libris Ecclesiasticis absolute confertur, vendicant  
perperam juri suo. Quocirca mandamus, quatenus univer-  
si, & singuli a prænotatis gravaminibus deficiatis, subditos  
vestros ab hujusmodi artius compescendo.

C A P. XVII.

Ponit XII. gravamina Predicatorum, & Minorum, a qui-  
bus precipit Prelatos abstinere.

a al. Idem Abb. S. Alberti Archidiacocon. de Ammona, &c. b  
denegasse. c al. cum complicibus, &c. d inquietent, & eli-  
git. f corundem. g ut.

Idem universis Ecclesiarum Prelatis. (an. 1236.)

**II.** N imis a prava: [ & inf. 1 ] Cum quidam viri religiosi,  
utputa fratres Prædicatores, & Minoris ( quorum  
ordinem, & regulam sedem Apostol. noscitur approbasse )  
in arctissima b paupertate Christo pauperi famulentur,  
plerique Prælati, & alii eos ad Synodos suas cogunt ac-  
cedere, a suis constitutionibus subjacere: nee his con-  
tent, Capitula & scrinia in locis fratrum pro his cor-  
rigendis facturos se comminantur, fidelitatem juramento  
firmatam ab eorum ministris & custodibus exigentes: eis  
quoque, ut tam extra civitates, quam intra cum eis pro-  
fessionaliter veniant, ex levi causa mandantes, excom-  
municationis sententiam fulminant in benefactores ipso-  
rum: & idipsum fratibus communantes, eos de locis, in  
quibus Domino famulantur, satagunt amovere, nisi eis  
obediant in omnibus supradictis. Ad hoc c ne fratres ad  
honorabiores d civitates & villas, ubi religiose ac ho-  
neste valeant commorari, a populis devote vocati accede-  
re audeant inhibentes, tam in accedentes fratres, quam  
in receptatores e eorum præsumunt excommunicationis  
sententiam promulgare. Ab eis etiam de horitorum fructi-  
bus decimas, neconon de habitaculis fratrum ( sicut de  
Judæorum domibus ) contendunt redditus extorquere: affe-  
rendo, quod nisi fratres morarentur ibidem, ab aliis ha-  
bitatoribus proventus aliqui solverentur: & ut ipsos suæ  
subdant totaliter ditioni, eisdem ministros, & custodes  
volunt præficere pro suæ arbitrio voluntatis. Quocirca  
mandamus, quatenus universi & singuli a prænotatis gra-  
vaminibus deficiatis, subditos vestros ab hujusmodi ar-  
tius compescendo.

C A P. XVIII.

Non servans interdictum, suspensus est ab officio, & beneficio,  
& omni jurisdictione. h. d. secundum verum intellectum.

Idem Archiepiscopo Bracaren. f (an. 1236.)

Tanta est clavis Petri: [ & inf. 1 ] Ad confusionem P.  
Episcopi quandam Colubrien. non potest in memo-  
riam non venire, quantum in nos, & Ecclesiam Romanam  
deliquerit, despicerit Petri claves, & Ecclesiasticam lese-  
rit potestatem: cum non solum interdicti sententiam ( quam  
setaverat ab initio ) temere violavit, verum etiam indu-  
xit alios, imo compulit, non servare: & quos inducere  
monitis, & alectere minis ac terroribus ad violandam in-  
terdicti sententiam nulla potuit ratione, post atroces in-  
jurias, amissionem bonorum, spoliacionem parentum, di-  
gnitaribus, præbendis, & beneficiis spoliatis, coegerit mi-  
serabiliter exulare, ea suis in hac parte fautoribus non  
abfque presumptione temeraria conferendo, quæ omnia  
idem Episcopus in nostra, & g fratrum nostrorum presen-  
tia publice recognovit. Licet autem memoratus Episco-  
pus in manibus nostris spontanea cesserit voluntate, no-  
lentes tamen, ut hi, qui hujusmodi sententiam interdicti  
non sunt veri temeritate propria violare, ac recipere di-  
gnitates, Præbendas, ac beneficia aliorum, qui absque  
culpa & sine causa rationabili eis fuerant spoliati, severi-  
tatem effugient canonica ultionis, nefasti perversitas tran-  
seat præsumptibus in exemplum: auctoritate Dei omnipot-  
entis, omnem institutionem, destitutionem, collationem  
Præbendarum, beneficiorum, ac dignitatum præsumptas  
per eundem Episcopum, & excommunicationis, seu inter-  
dicti sententias, in quoicunque hac occasione prolatas ab  
eo post interdicti violationem ejusdem, decernimus ir-  
ritas & inanes. Quia vero ubi magis exceditur, ibi  
est

a De cogendis Synodis, & qui sunt vocandi, vid. Conc. Trid. sess.  
24. de reform. c. 2. b altissima. c ad hæc. d honorabiles. e recep-  
tores. f Bracaren. & Colubrensis seu Colibrensis, Episcopatus  
sunt vetustissimi in Portugallia. g al. ita, & in fratrum, &c.

est severius vindicandum: mandamus, quatenus omnibus,  
quos prædictus Episcopus in supradicta beneficia, Præben-  
das, & dignitates intrusit, non solum a beneficiis ipsis, Prä-  
bendis, & dignitatibus, verum etiam ab aliis beneficiis ( si qua-  
obtinent ) & Ecclesiis prorsus amotis tam præsumptiores eof-  
dem, quam omnes alios, qui præfatum interdictum damna-  
biliter violarunt a, suspendas auctoritate Apostol. ab offi-  
cio, & beneficio. Illos quoque, quos in personas, & res  
prædictorum Canonorum, Prælatorum, & Clericorum ma-  
nus temerarias constiterit extendisse, ad nostram venire  
compellas presentiam, pro meritis sententiam & recepturos,  
invocato ad hoc [ si opus fuerit ] auxilio brachii secularis.

### TITULUS XXXII. DE NOVI OPERIS NUN- CIATIONE.

C A P. I.

Etiam Ecclesia edificata post nunciationem novi operis,  
destruenda est expensis construentis, h. d. cum sequenti.

Lucius III. Paduano Episcopo. (an. 1181.)

**I**ntelleximus d ex literis tuis, quod cum causa, quæ ver-  
titat inter Priorum S. Cypriani, & Clericos de Rodigio  
super Capella, quæ in præjudicium baptismalis Ecclesia  
de Costa ab eisdem Clericis est constructa, Fr. t. delegata  
fuerit: [ & inf. 1 ] quia vero & sicut leges non degignantur  
factos canones imitari, ita & factorum statuta canonum Prin-  
cipium constitutionibus adjuvantur: Fr. t. mandamus, qua-  
tenus diligenter considerans, quod post denunciationem no-  
vi operis, five jure, five injurya aliquid construatur, lega-  
libus debet constitutionibus demoliri: & quia nulla Ecclesia  
in præjudicium est alterius construenda, negotium ipsum  
secundum legum, & canonum statuta non differas terminare.

[ 1 Fine canonico terminanda, partibus autem ad tuam præ-  
sentiam convocatis per testes sufficienter tibi innotuit, quod pre-  
fata Ecclesia de Rodigio eadem Capellam post app. ad nos  
factam, & denunciationem novi operis adificare incepatur, &  
ob hoc præfatus Prior in judicio postulabat, quicquid in sa-  
dicta Capella post appell. ad nos factam, & denunciationem  
novi operis factum fuerat, penitus demoliri. Super quo discri-  
t. dubium videbatur, utrum ad hæc procedi posset canonico  
judicio, cum nihil de nunciatione novi operis sit in canonibus  
definitum, duxisti sed. Apostolicam consulendam. ]

C A P. II.

Summatum est ut sup. cap. primo.

Innocentius III. Cantuar. Archiep. [ an. 1210. ]

**C**um g ex injuncto: [ & inf. 1 ] Fr. t. mandamus, quate-  
nus quicquid adificatum est in Ecclesia de Lamech,  
post novi operis nunciationem expensis tuis facias penitus  
demoliri, eo non obstante, si etiam absens extiteris, cum  
cautum sit legitima sanctio, ut si is, cui opus novum  
fuerat b nunciatum, ante remissionem adificaverit, deinde  
agere cooperit jus sibi esse ita adificatum habere, sibi de-  
beat actio denegari, reducens prorsus in irritum quicquid  
de instituendis ibi Canonis, & aliis ad ipsam Ecclesiam  
pertinentibus a te, vel prædecessore tuo cognoscitur ordi-  
natum, eorum redditibus ad statum pristinum revocatis,  
quos ab obligatione præstiti juramenti pro eo, quod ibidem  
instituti fuerunt, auctoritate nostra per te denunciari præ-  
cipimus absolutos: cum enim amodo non teneat principale,  
quicquid ex eo, vel ob id secutum est, sub præmissa distri-

a Violarant. b Hæc duo verba, auctoritate Apostolica, de-  
sunt in aliquot manus. c in impressis paulo vetustioribus. c  
Vox, sententiam, deest in antiquioribus. d C. 3. tit. de Eccles.  
adfic. in 2. comp. e al. quia vero sacre leges, &c. f consi-  
tuenda. g Cap. 1. de novi oper. nunc. in 3. compil. consule  
Ho. in c. preced. h fuerit.

Tom. II.

ctione decernimus irritandum: ( & inf. 2 ) Super eo quoque  
non sufficiimus admirari, quod cum viri religiosi Monachi  
Cantuarien. qui omnia dimiserunt pro Christo, tot labori-  
bus, & periculis personas, & res non dubitaverunt a frequen-  
ter exponere ( quod non fecissent, nisi cognoscerent præmis-  
sa respicere in grave Cantuar. Ecclesia detrimentum ) tu-  
saltem pro vitando tam gravi scandalu proximorum ab hu-  
jusmodi etiam tibi prohibitis non cessasti: cum sacra Scriptura  
testimonio debueras b didicisse, quod licet opera illa, quæ sine mortali peccato omitti non possunt, non  
sunt c pro vitando scandalu d dimittenda, nec ea debent  
pro scandalu vitando committi, quæ sine mortali peccato com-  
mitti non possunt: ab his tamen, quæ sine mortali peccato mortali  
committi possunt pariter, & dimitti, sit pro scandalu tollen-  
do cessandum, & eis etiam pro vitando scandalu insiden-  
dum: unde Apostolus: Si scandalizatur & frater non come-  
dam carnes in eternum. Et Dominus in Evangelio contra  
eos, qui scandali præstant materiam: Vœ, inquit, homini illi, per quem scandalum venit, &c. Finis ergo  
his taliter a te imponatur, quod præterita contradictionis  
rebellio per virtutem sequentis obedientiæ valeat expiari.

( Districti tibi iussione mandavimus, ut in negotio capelle  
de Lamech, iuxta formam in literis Ap. comprehensam ab op-  
pressione Monachorum Cantuarien. omnino cessares. Cum autem  
qua præmisimus, & similia in nostra fratrumpue nostrorum  
præfencia prudenter essent a nunciis allegata: nos, qui tempus  
acepimus justitiam judicandi, volentes illius vestigii inhab-  
bere, apud quem non est acceptio personarum, cuius locum liceat  
indigni teneamus in terris, & ita via regia prudenter debea-  
mus incedere, ut non declinemus ad dextram, vel ad sinistram,  
prædecessores queque nostros Urban. & Clem. & etiam Celesti-  
num credentes amplius imitando in illis, maxime que deli-  
beratione prævia statuerum, de communi f. n. c. )

( 2 Sic ut sanctum est in traditione canonica & civili. )

C A P. III.

In optione est nunciantis novum opus, an intra tres menses  
de præjudicio suo debeat ostendere, & interim cesseret ab opere:  
an vero recepta cautione de opere demoliendo, statim adificare  
permittat. h. d. cum seq.

Honorius III.

**S**ignificantibus Canonis S. Opportuna Parisien. inno-  
tui nobis, quod cum super eo, quod N. civis Parisien. in  
quadam platea Ecclesia sue eis prohibentibus in suum adi-  
ficabat præjudicium, & gravamen, deposuerunt coram Of-  
ficiali Parisien. Archidiacono questionem, eis offerentibus  
in continentia probare præjudicium, & plateam ad suam  
Ecclesiam pertinere, ac potentibus, non obstante, quod dictus N. cautionem de demoliendo opere offerebat, adi-  
ficium prohiberi. Et quia idem Officialis interloquendo  
decrevit probationes eorum admittendas esse, ac ab opere  
interim quiescendum, idem N. ad Senon. Ecclesiam &  
provocavit. Sed cum Senon. Officialis eadem interlocutoria  
revocata decreverit, ad opus sub cautione de demoliendo  
ipso non admissis eorum probationibus procedendum, præ-  
dicti Canonici nostram audientiam appellant: [ & inf. 1 ] Ideoque mandamus, quatenus, si est ita, revocato in  
X X irritum.

a Dubitaverint b debeas. c sint. d Vid. B. Thom. 2. 2. quest.  
43. per totam questionem. e i. Cor. 8. f Matth. 18. g Ibid. h  
Decano & preposito majoris Ecclesie Ambianen. Cont. i Vid.  
Dott. in l. 1. D. de novi op. nunc. k al. curiam, idque in re-  
centioribus, nam vetustiore Cod. Ecclesiam habent. l opere.

irritum, quicquid post appellationem hujusmodi inveneritis atqueatum &c.

[<sup>1</sup> Unde petebant, ut ipsorum probations recipi, & prohiberi ad fiduciam mandaremus.]

## C A P. IV.

Summatum est supra capitulo proximo.

Gregorius IX. [an. 1230.]

**I**s, cui opus novum te nunciasse proponis, non obstante curatione, quae offertur ab ipso de opere destruendo, si non iure ad fiduciam existat, tenetur te per trium mensium spatium expectare, juris tui praedictum probare volentem.

TITULUS XXXIII.  
DE PRIVILEGIIS, ET EXCESSIBUS  
PRIVILEGIATORUM.

## C A P. I.

Episcopalis dignitas non debet tribui, nisi locis insignibus, & populosis.

Leo Papa. [an. 459.]

**E**piscopalia gubernacula non nisi majoribus populis, & frequentioribus civitatibus præsidere oportet, ne honor, cui debent excellentiora committi, sui numerositate vilescat.

## C A P. II.

Non obstante privilegio fori, potest Laicus Ecclesiæ malefator per Ecclesiam puniri.

Gregorius P. Subdiscono. [an. 600.]

**S**icut b in judiciis Laicorum privilegia turbare nolumus, ita eis præjudicibus nobis moderata volumus auctoritate resistere. Violentos itaque Laicos coercere, non contra legem est agere, sed legi facere & subsidium.

## C A P. III.

Religiosi etiam exempti Ecclesiæ, & decimas non debent a Laicos recipere, sine consensu diœcesanorum. hoc dicit usque ad §. Excommunicatos.

Alexand. III. in Concil. Lateran. d [an. 1179.]

**C**um & plantare sacram religionem, & plantatam fovere modis omnibus debeamus, nulquam & hoc melius exequimur, quam si nutrire ea, quæ recta sunt, & corrigerem, quæ profectum virtutis impediunt, commissa nobis auctoritate cureremus. Fratrum autem, & Coepiscoporum nostrorum contumescere compemus, quod fratres Templi, & Hospitalis, & alii Religiosi, indulta sibi ab Apost. sede privilegia excudentes contra Episcopalem auctoritatem multa præsumunt, quæ & scandalum faciunt, & grave parunt periculum animarum: [<sup>1</sup> inf. 1] Ecclesiæ igitur, & decimas de manu Laicorum sine consensu Episcoporum, tam illos, quam eriam quoquecunque alios Religiosos recipere prohibemus, dimissis quacunque contra tenorem istum aliquo tempore repererunt.

[<sup>1</sup> Proposuerunt enim, quod Ecclesiæ recipiunt de manu Laicorum, excommunicatos, & interdictos ad Ecclesiastica recipiunt sacramenta, & ad sepulturam admittunt in cunctis Ecclesiæ suis præter sorum conscientiam, & instituent, & amovent Sacerdotes, & fratibus eorum ad eleemosynas querendas euntibus, est indultum eis, ut in adventu eorum jucundo semel in anno operiantur Ecclesiæ, atque in eis divina celebrantur officia, plures ex eis de una & diversi domibus ad interdictum locum sapienti, indugentia privilegiorum nostrorum in celebriis officiis, & sepeliendi mortuis abutuntur, & moreuos apud interdictas Ecclesiæ sepelire præsumunt. Occasione quoque confraternitatum, quas in pluribus locis faciunt, robur & suitor. Episcopalem enerant, dum contra eorum sententiam sub aliis quorum privilegiorum obtenuit munire cunctos intendunt, qui

a Denunciasse. b C. 2. eod. tit. in 1. comp. e Ferre, legendum est, ex registro. d In Conc. Lat. sub Alex. III. c. 9. & c. 3. eod. tit. in 1. comp. e nuaquam. f veritatis, in Concilio.

ad eorum fraternitatem voluerint se conferre. In his autem, quia non tam de majorum conscientia, quam de minorum discretione exceditur, & removenda ea, in quibus excedunt, & que dubitationem faciunt, decrevimus declaranda.]

Excommunicati, & interdicti omnino non debent admitti ad divinas, etiam per Religiosos exemptos. h. d. usque ad §. In Ecclesiæ. Abbas Siculus.

§. 1. Excommunicatos a quoque, & nominatim interdictos tam ab illis, quam ab omnibus aliis juxta Episcoporum sententiam statuimus evitando.

Religiosi etiam exempti in Ecclesiæ non pertinentibus ad eos, pleno jure non instituunt, nec desituunt in consultis Episcopis, sed rationem exigunt in temporalibus ab institutis. hoc dicit usque ad §. Quod si.

§. 2. In Ecclesiæ vero suis, quæ ad eos pleno jure non pertinent, instituendos Presbyteros Episcopis repræsentent, ut eis de plebis cura respondeant. Ipsis vero pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem. Institutos etiam in consultis Episcopis non audeant removere.

Hospitalarii, & Templarii semel in anno celebrant in Ecclesiæ postea in loco interdicto, ibi tamen non sepeliuntur corpora mortuorum. h. d. usque ad §. De confratribus. Abbas.

§. 3. Quod si Templarii, vel Hospitalarii ad Ecclesiæ venerint interdictam, non nisi semel in anno ad Ecclesiasticum officium admittantur, nec tunc ibi sepeliuntur corpora defunctorum.

Confratres exemptorum, seu ipsorum oblati, qui in rotum non se transstulerunt, judicari possunt ab ordinariis locorum. h. d. usque ad fin. Abbas Siculus.

§. 4. De b confratribus hoc constitutimus, ut si non se prædictis fratribus omnino reddiderint, sed in proprietatibus suis omnimodo duxerint remanendum, propter hoc ab Episcoporum suorum sententia nullatenus eximantur, sed potestate suam in eos, sicut in alios parochianos suos exerceant, cum pro suis fuerint excessibus corrigendi. Quod autem de prædictis fratribus dictum est, ab aliis quoque Religiosis, qui præsumptione sua Episcoporum percipiunt jura, & contra canonicas eorum sententias, & tenorem privilegiorum nostrorum venire præsumunt, præcipimus observari. Si enim contra instiitutum hoc venerint, & Ecclesiæ, in quibus ista præsumptio, subjaceant interdicto, & quod egerint, irritum habeatur.

## C A P. IV.

Suis privilegiis privandus est, qui alienis derogat.

Idem Archiepiscopis (& c Episcopis) ad quos literæ iste pervenerint. (an. 1179.)

Dilecti filii fratres Hospitalis Hierosolymitani transmissa nobis coniectione monstrarunt, quod vos eis de malafactoribus suis justitiam facere non vultis, privilegia ipsorum recipere contemnetes: [<sup>1</sup> inf. 1] Pro certo sciatis, quod nos concessa vobis privilegia decurbitamus, cum Ecclesiæ Rom. scriptis authenticis obviare minime timemus.

[<sup>1</sup> Nec ipsos eleemosynas querere in vestris parochiis, aut confratres eorum sepelire aliquatenus permittatis. Quoniam igitur idem fratres multis sunt libertatis, & privilegiorum a Rom. Pontificibus præsumunt, quæ ut nostris temporibus infringantur nullum suscitare. F. v. p. a. s. m. q. jam dictis fratibus in his, quæ sibi a Rom. Eccl. noscuntur indulta fuisse, nullam prorsus molestiam faciat, nec ea sibi contradicere, vel denegare aliquatenus attenter. Si enim de vobis in veritate de cetero talia poterimus comperire.]

## CAP.

a Vide Calixtum Pap. I. epist. 2. ad Episcopos Gallie. Referunt Burcb. l. 11. decr. c. 38. & Ivo p. 14. c. 102. b Præter Panorm. & alios vid. hic Marianum Socin. & alios in c. 2. sup. de foro compet. & gloss & Geminianum in c. quisquis 7. q. 4. c. Ha duæ voces, & Episcopis, desunt in aliquot, & veteris, & recentioribus. d C. 4. eod. tit. in 1. comp.

## C A P. V.

Eriam privilegiisti non possunt admittere excommunicatos ad sepulturam: & si admiserint, debent inde eos ejicere: & si non fecerint, Episcopus supplebit.

Idem Cantuarien. Archiepiscopo. (an. 1179.)

**A**d hæc: (& inf. 1) Mandamus, quatenus Hospitalariis præcipias, ut si quos in excommunicatione defunctos in coemeteriis Ecclesiæ sepelierint, eos extra coemeteria ejicant: quod si facere noluerint, tu hoc de his, quos in excommunicatione defunctos esse constiterit, exequaris.

[<sup>1</sup> In beatorum Apostolorum Principis cathedra Domino disponente quanquam immeriti sumus constituti, ut plantare debemus, quæ ad divinum spettant decorum, & evellere & eradicare curremus, quæ obvia sunt rationi, & profectum impedire salutis. Intelleximus sane, quod Hospitalarii nominatis excommunicatos contra probationem Episcoporum Ecclesiæ præsumunt tradere sepulture, non cogitantes, quoniam grave sit eis in morte communicare, quos dum vivent, Ecclesia a suo sinu pro suis excessibus segregavit. Unde quoniam hujusmodi præsumptionem, & teneritatem nolumus, nec debemus aliquatenus tolerare: F. v. p. a. s. ]

## C A P. VI.

Contra privilegium Ecclesiæ prescribitur spatium XXX. annorum, hodie vero XL. ut infra. eod. Accedentibus.

Idem Abbatis, & Monachis S. Andreae Cistercienc. Ordinis. (an. 1179.)

**S**i de b terra, quam habetis in Parochia Canonorum de Plautio, per XXX. annos eis decimas persolvatis, eas sibi de cætero integre persolvatis. Lieet enim privilegiorum Ro. Eccl. beneficis fratribus Cisterciens. Ordinis indultum fuerit, quod de laboribus suis nullas decimas persolvere debeant, de privilegio tamen indulto tanto tempore vobis detrahere voluistis, cum liberum sit unicuique suo juri renunciare, eoque modo non potestis vos in hac parte tueri.

## C A P. VII.

De privilegiis non est judicandum, nisi eorum tenore inspecto, & secundum continentiam eorum ab omnibus subditis sunt servanda.

Idem Ambien. d Episcopo. (an. 1179.)

**P**orro & quamvis Templarii, & Hospitalarii multa sint libertatis prærogativa donati s. non dubitamus, quin aliam libertatem habeant in locis, in quibus antequam pervenissent ad eos, fuerant habitatores: quod totum ex inspectione privilegiorum plenus advertere potes, & secundum quod inventeris, ita oberves. Sic enim eos volumus privilegiorum suorum servare & tenorem, quod eorum metas transgredi minime videantur.

## C A P. VIII.

Per solutionem census, quæ fit Rom. Eccl. non probatur exemptione a jurisdictione Episcoporum.

Idem I. Apost. sedis Legato. (an. 1179.)

**R**ecepimus b literas, quas de Ecclesiæ census libris direxisti. Cæterum diligentiam tuam volumus non latere, quod sicut non omnes, qui specialiter B. Petri juris existunt, annuatim Apost. sedi censum exsolvent, ita non omnes censuales ab Episcoporum subjectione habentur immunes. Inspicienda sunt ergo Ecclesiæ privilegia, & ipsorum tenor est diligenter attendens, ut si fuerit deprehensum, quod Ecclesiæ, quæ censum solvit, specialiter B. Petri juris existat, & ad judgmentum percepere libertatis census annuus conferatur, non immerito poterit speciali prærogativa gaudere. Si vero ad indicium percepere protectionis census persolvitur, non ex hoc juri dicere, Episcopi aliiquid videtur esse subtractum.

[<sup>1</sup> C. 2. eod. tit. in 2. comp. b alit. quinimum votius per te, &c. c. 1. eod. tit. in 3. comp. d al. ipsi ibi in ea, &c. e Dicitio, divina, deest in antiquioribus exemplarib. f Vid. l. Judeos. C. de Iude. l. qui sine ff. de negot. gest. & l. liberam ff. de pecul. g Suam, legitur in vulgaris libris, ex antiqua tuam, repository eft. h celebraff. i al. ita: & predictos fratres, & cæterum ex veteribus exemplaribus lectio impressa repository est, & rescripti series ostendit ista legi oportere.

Privilegium uni concessum non potest ad alium extendi, propter identitatem rationis. h. d. & solet quotidie allegari.

Idem.

Sane: (& inf.) Temerarium est, & indignum, aliquem sibi sua auctoritate presumere, quod Rom. Ecclesia aliqui certa ratione inspecta singularibus voluit beneficiis indulgere.

C A P. X.

In Oratoriis privatis campanæ publice teneri non possunt etiam per Religiosos. h. d. & tene menti hunc textum, quia quotidie allegatur, & est in usu.

Celestinus III. Abulen. Episcopo. (an. 1195.)

Patentibus a literis certificari desideras, utrum Templarii, Hospitalarii, & alii Oratoria in domibus suis habentibus, liceat campanas in eis ponere, publiceque pulicare: Respondemus autem consult. t. quod non licet eis hoc agere, quin potius per te per cens. Eccl. appell. rem. coerendi sunt, ut ita sint suo jure contenti, quod justitiam non impedian aliorum.

C A P. XI.

Intota provincia exhortationis officio privantur Hospitalarii, qui mittunt pro elemosynis cruce falso signatos & si missi sunt Laici, excommunicantur: si sunt Clerici, ab officio, & beneficio suspenduntur: & eadem suspensione puniuntur, qui ante reconciliationem in polluta Ecclesia celebrant: & suspensi per Episcopos exemptions absolvi non possunt: & fratres privilegiatorum, qui ad eos se omnino non transferunt, privilegiati non sunt.

Innocentius III. Archiepiscopo Lugdon. (an. 1212.)

Tuarum & nos tenor edocuit literarum, quod fratres hospitalis S. Joannis Laicos, & illiteratos mittunt pro elemosynis colligendis: [<sup>1</sup> inf. 1] Cum enim in quadam Ecclesia baptifinali, eis a prædecessore tuo collata, quidam eorum percutiens Vicarium Sacerdotem & ipsam Ecclesiæ sanguinis effusione foedasset, usque ad reconciliationem divina ibidem interdicti officia celebrari: sed nihilominus ipsi in ea divina officia celebrarunt. Alios vero Presbyteros ab officio suspensos per Episcopos suos idem, cum sint Laici ad divina officia instituunt exequenda. Quosdam præterea, qui cum uxoris suis in domibus propriis commorant, eo quod eis de suis aliquid conferunt annuatim, ita emancipare contendunt, ut aliquibus secundum legem terræ de sibi objectis respondere minime teneantur. Verum quia privilegium meretur amittere, qui permissi sibi abutitur potestate s. Frat. tuæ mandamus, quatenus si quos Clericos, aut Laicos a dictis fratribus pro colligendis elemosynis cruce falso signatos inveneris, his, a quibus ipsos missos esse constiterit, per totam provinciam tuam & exhortationis officium interdic: missos, si Laici fuerint, excommunicationis mucrone percellas: si Clerici, ab officio, beneficio suspensos, nullo prorsus privilegii beneficio, vel appellationis remedio prævalente.

Eos vero, quos in prædicta Ecclesia lege tibi diœcesana subiecta post interdictum tuum divina celebrare b cognoveris, eadem poena suspensionis involvens, in ea donec reconciliata fuerit] officia non permittas celebrari divinas: Presbyteros etiam suspensos ab Episcopis suis, & per prædictos i fratres ad officia sua temere restitutos, in X x 2 ean-